



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Distinctio quadragessimaseptima.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

ter perpetuæ in ciuitate diuina. i. mors secunda, exilium à patria, & carcer inferni, quia & subiecti istarum pœnarū perpetuū durabit. Secundū patet idem q̄ manente culpa debet manere pœna, sed in damnatis perpetuū manebit culpa propter obstinationem mentis eorū, ergo perpetuū remanebit pœna. Tertiū, quia magis est peccator dignus pœna perpetua propter culpā suā q̄ iustus sit dignus p̄miō propter quodcūq; meritū, quia iustus quantumcūq; bene operetur propter deū in nullo confituit deū debito rem, & ideo p̄miū non ei reddendū secundū debitū stricte sumptum, sed peccator voluntarie diuertens se ab obedientia respectu dei verē debet puniri secundū iustitiam, vnde est verē debitor pœnæ, sed iustus propter opus meritorū p̄miatur p̄miō æterno, ergo fortiori ratione peccator propter demeritum punitur iuste pœna æterna.

6 AD primum arg. dicendum quod quantitati peccati respondet quantitas pœnæ secundum intentionem, vt quanto peccatum est grauius, tanto pœna sit acerbior: vtrūq; tamen pœna tam maioris quā minoris peccati mortalis debet esse duratione æterna.

7 Ad secundum arg. dicendū est q̄ pœnæ quantum ad institutionem sui sunt ad correctionē vt earū timore homines retrahātur à malis, sed quantum ad earum actualement infliccionem non semper sunt ad correctionē nisi pœnæ illæ quæ non sunt ad finalem exterminationē illius qui punitur: illa autē quæ sunt ad exterminationem possunt pro nunc esse ad correctionē aliorum qui vix pœna corriguntur, sed nunc sunt ad correctionē illius qui punitur.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum in punitione malorum concurrat diuina misericordia & iustitia.

Tertio queritur, vtrum in punitione malorum cōcurrat diuina misericordia cū iustitia. Et videtur quod non, quia Iac. 2. dicitur quod iudicium sine misericordia fiet ei qui nō fecerit misericordiam, sed nullum iudicium grauius est punitione malorum, ergo in punitione eorum non est misericordia.

1 Item Aug. super Psal. Misericordia autem hic, & iudicium erit in futuro, ergo in iudicio futuro erit iustitia sine misericordia.

2 Item in p̄miatione bonorum erit misericordia sine iustitia proprie dicta, quia quæ dei vita æterna, Rom. 6. Et ibidem cap. 8. dicitur quod non sunt condignæ passiones huius temporis, &c. ergo in punitione malorum erit iustitia sine misericordia.

3 IN oppositum est quod dicitur in Psal. Vniuersæ viæ domini misericordia & veritas. Et Cassiodorus super Psal. 50. dicit, & habetur in litera quod hæc duæ res, iustitia & pietas, in omni iudicio dei adiunctæ sunt.

4 **R**ESPONSIO. Circa quætionem istam videntur duo. Primum est, an in deo sit misericordia. Secundum est, vtrum misericordia sit in punitione malorum.

6 Quantum ad primum sciendum est q̄ misericordia accipitur dupliciter. Vno modo pro passione per quā compatitur aliquis alicui patienti quasi partem passionis alterius in se ferens. Alio modo accipitur pro habitu vel actu voluntatis quo aliquis vult subleuare miseriam alterius; accipiendo primo modo misericordiā, ipsa non est in deo quia misericordia vt dicit passionem includit in se tristitiam & pœnā, sed nec tristitia nec pœna potest esse in deo ergo nec misericordia vt est passio, sed accipiendo secūdo modo misericordiam pro voluntate releuandi miseriam alterius sic est in deo, quia Deus nihil facit circa nos nisi vult, sed Deus per sua beneficia miserias nostras frequenter subleuat, ergo in ipso est voluntas tales miserias subleuandi, & per consequens misericordia secūdo modo dicta. Item omne commendabile simpliciter est Deo attribuendum, sed in potente misericordia maxime est commendabile: vt patet per Aug. de ciui. Dei. cap. 5. vbi commendat Ciceronē qui in laudem Cæsaris sic locutus est dicens: Nulla de virtutibus suis nec admirabilior, nec gratior est misericordia, ergo ipsa est in Deo ponenda. Aduertendum est tamen quod cum nullus actus sit laudabilis nisi quatenus à ratione regulatur, ideo misericordia vel actus misericordiae non est Deo attribuendus nisi secundū ordinē sapientiæ suæ: propter quod sicut homo misericors non repellit laudabiliter nec virtuosē miseriam alienam nisi

quantum ratio indicat, sic Deus nō repellit miseriam nostram nisi secūdo quod ordo sapientiæ suæ iudicat eam repellendam, quæ si secundum ordinem sapientiæ diuine totaliter repellatur, vocatur misericordia libera, si verō non totaliter repellatur, sed aliquid de ea minuat, vocatur misericordia relaxans, & sic patet primum.

7 Quantum ad secundū dicendum est q̄ misericordia & iustitia accipiuntur quando q̄ largē, vt misericordia dicitur omnis voluntas faciendi bene alicui. Iustitia verō dicitur condecencia diuinæ bonitatis, & sic non solū in punitione malorū, sed in omni opere Dei concurrunt misericordia & iustitia: quia quæcūq; deus facit, facit secundum condecenciā diuinæ bonitatis & ex voluntate bene faciendi creaturæ vel illi circa quē agit vel alii vel cōmunitati, & hoc modo ex iustitia nascitur misericordia secundum Aug. quia ex condecencia diuinæ bonitatis vult deus facere aliquid bonū creaturæ. Secūdo modo accipitur misericordia & iustitia magis stricte, prout misericordia dicit voluntatē subueniendi miseris aliorum præter merita, iustitia verō dicit voluntatē retribuendi secundū exitum meritorū: & hoc modo misericordia & iustitia non concurrunt ad omne opus diuinum, concurrunt tamen in retributione iustorū, & punitione malorum. De retributione honorum patet sic: quia reddere p̄miū excedens meritum est opus iustitiæ & misericordiae, quatenus enim redditur p̄miū pro merito opus iustitiæ est, sed in quantum meritū excedens est, est opus misericordiae sed in p̄miatione iustorum redditur p̄miū excedens meritum, cū non sint æqualis valoris opera meritoria & gloria seu vita æterna, ergo &c. De punitione malorū patet idem sic, quia secundū rigorem iustitiæ propter vitium ingratiudinis meretur aliquis priuari omnibus beneficiis gratis acceptis, sed quicquid sumus & quicquid habemus totū à Deo accepimus, secundū illud Apost. 1. Cor. 4. Quid habetis quod non accepistis? ergo per ingratiudinem quæ committitur in omni peccato mortali meretur peccator amittere secundū rigorem iustitiæ quicquid à deo accepit, hoc est quicquid est in se & quicquid habet in se, quo facto est homo annihilatus: cū ergo in punitione malorum non fiat annihilatio eorum, patet quod est ibi misericordia aliquid relaxans vt vere possint dicere illud Trenzorum. 3. Misericordiae domini, quia non sumus consumpti, quare &c.

8 AD primum arg. dicendum quod autoritas beati Iacobi intelligitur de misericordia totaliter liberatæ, quæ non est in condemnatione malorum, est tamen ibi misericordia aliquid relaxans de pœna, vt dictum est.

9 Per idem patet ad secundū quia quauis hic & in futuro sit iudicium & misericordia, differenter tamē, quia hic est iudicium cum misericordia totaliter liberante quæ est perfecta misericordia, sed in futuro erit iudicium sine misericordia liberante non tamen sine misericordia relaxante: & quia illa non est misericordia perfecta sicut est misericordia liberans, ideo hic dicitur esse misericordia per excellentiam, ibi autem iudicium.

10 Ad tertium dicendū q̄ non est simile de punitione bonorum & punitione malorum, quia meritū bonorum non potest esse meritum simpliciter de cōdigno, quia tale meritum includit simpliciter iustum quod nō potest esse inter Deum & hominem in acceptatione & retributione bonorum, sed demeritum malorum est proprie & simpliciter demeritum: imō tantō amplius demerentur quanto Deo sunt magis obligati quā obligetur homo homini, & ideo pœna quæ eis pro demeritis infligitur debetur eis secundum iustitiam proprie dictam.

Sententia huius distinctionis. XLVII.
in generali & speciali.

Solet etiam queri. Superius determinauit Magister de misericordia & iustitia, hic determinat de iudicii modo. Et habet tres partes. Primō enim inquit de iudicii modo. Secundō de ministris ibi. Non autē Christus solus iudicabit. Tertio de iudiciis, prima di. 43. Solet etiā queri. Duæ primæ partes sunt præsentis lectionis, quarū secūda habet tres. Primō enim determinat de iudicii assessoribus. Secundō de iudicandorū conditione. Tertio de iudicii ministris. Prima ibi, Non solū autem Christus, Secūda ibi,

ibi. Erunt autem quatuor. Tertia ibi. Cui autem in euangelio. Et ista habet duas secundum duas quaestiones quas incidenter mouet. Secunda ibi. Solet etiam queri.

2 PROponit ergo primò Magister q̄ quidam ponit iudicium non voce vel scriptura proferendum, quia Apostolus dicit illud fieri in ictu oculi, sed diuina uirtute manifestabuntur conscientie singulorum qui poena vel praemio digni sunt. Alii uero ponunt q̄ uerba praemissa Apostoli de resurrectionis statu plusquam de iudicio intelliguntur: iudicabit etiam non solum Christus, sed cum eo uniuersitas perfectorum. Quatuor autem erunt ordines in iudicio. Aliqui iudicabuntur & peribunt. Aliqui non iudicabuntur & peribunt. Tertii iudicabuntur & non peribunt. Quarti non iudicabuntur & regnabunt sicut per exempla declarat in litera. Deinde querit, an angelorum officio exercebuntur aliqua in iudicio. Et respondet q̄ per eorum ministerium congregabuntur omnes ad iudicium quorum ministerium ignis praecedet & diuina sententia sequetur. In fine subdit q̄ secundum quosdam in inferno homines non punientur nisi in ministerio diuino, quia secundum eos post iudicium cessabit omnis praecatio: secundum alios uero qui fuerunt intentiores in culpa, erunt tortores in poena.

QUESTIO PRIMA.

Utrum generale iudicium sit futurum.

Circa istam distinctionem primò quaeritur, utrum generale iudicium sit futurum. Et uidetur q̄ non: quia executio sententiae non praecedit iudicium, sed sententia omnium tam bonorum quam malorum decedentium statim mandatur executioni, ergo isti amplius non iudicabuntur.

2 Item Naum. i. dicitur, quod non iudicabit Deus bis in idipsum, sed Deus iudicabit quemlibet in morte infligendo ei pro meritis poenas vel praemia, ergo post hoc nullum erit iudicium.

3 Itē si iudicium generale esset futurum, tunc in eo oēs iudicarentur, alioquin nō esset generale, sed nō omnes neq̄ boni neq̄ mali iudicabuntur, ergo & Minor probatur, & primò de bonis, quia Mat. 19. dicit Christus Apostolis: Sedebitis super se. iud. & c. ipsi ergo iudicabunt, non ergo iudicabuntur. De malis autem dicitur in Psal. Non resurgēt impij in iudicio, neq̄ peccatores, & c.

4 IN Contrarium est quod dicitur Ioan. 5. Procedēt hi qui bona fecerunt in resurrectione uitae, qui uero mala egerunt in resurrectione iudicii.

5 Ad idem est quod dicit Aug. 20. de Ciuit. dei, q̄ tota ecclesia expectat generale iudicium futurum, & est articulus fidei, ut patet in Symbolo.

6 RESponso. Circa quaestionem istam uidentia sunt tria. Primum est principaliter quaerere, scilicet an generale iudicium sit futurum. Secundum est qualiter fiet, mentaliter an uocaliter. Tertium est, quando fiet & ubi.

7 Quantum ad primum tenendum est q̄ generale iudicium est futurum & hoc magis propter auctoritatem sacrae scripturae q̄ propter aliam rationē, & nihilominus potest hoc persuaderi dupliciter. Primo sic: congruum est fieri finalem separationem bonorum à malis, & ita fiet per generale iudicium, ut apparet Mar. 25. ubi dicitur q̄ separabunt bonos à malis sicut separat pastor oues ab haedis, ergo congruum est q̄ tale iudicium fiat. Minor iam patet, sed maior declaratur, nam secundum Aug. ratio quare mali permittuntur esse cum bonis est uel ut mali conuertantur per exempla bonorum, uel ut boni exerceantur in operibus patientiae & aliarum uirtutum per ea quae habent pati à malis, sed post iudicium non erit tempus exercitationis iustorum in operibus patientiae & caritatis uirtutum, quia tunc habebunt coronā, nec mali erunt corrigibiles, ergo congruum est q̄ separarentur ab iniuicem. Secundo, quia boni remunerabuntur & mali punientur non solum in anima sed etiam in corpore, sed resurrectio omnium quoad corpus erit in fine mundi, ergo tunc erit aliquod finale iudicium quo finaliter boni remunerabuntur, & mali punientur quoad corpus, & sic patet primum.

8 Quantum ad secundum est duplex opinio. Vna est q̄ totum illud quod fiet in iudicio fiet mentaliter & non

Quaestio I.

vocaliter. Cuius ratio est, quia sententia debet correspondere testimoniis ex quibus proceditur ad sententiandum, sed testimonia & accusationes malorum erūt solum mentalia secundum illud Rom. 2. testimonium reddet illis conscientia ipsorum & inter se inuicem cogitationū accusantium, aut defendentium in die quo iudicabit Deus occulta cordium, ergo sententia erit mentalis tantum. Ad idem est quod dicit beatus Aug. 20. de ciuit. Dei, q̄ liber ille de quo. Apoc. 20. dicitur, intelligendus est quaedam uis diuina quae fiet ut cuius opera sua bona uel mala in memoria reuocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur ut accuset uel excuset conscientia, itaq̄ omnes simul & singuli iudicentur.

9 Alia opinio est q̄ licet discretio meritorum & demeritorum fiat tantum mentaliter, sicut satis expresse dicit auctoritas statim allegata, tamen sententia proferetur uocaliter. Quod probatur, quia Christus iudicabit ut Deus & ut homo: ergo iudicium eius fiet nō solum diuino modo, sed etiam humano, fiet autem diuino modo per hoc q̄ merita & demerita uniuersiuusq̄ ad memoria imperceptibiliter reuocabuntur, & sic discussio eorum erit mentalis. Modo autē humano fiet si sententia sit uocalis, ergo utroq̄ modo fiet iudicium. s. mentaliter & uocaliter. Item sententia debet aptari his contra quos fertur, ergo sicut nūc in iudicio particulari fertur sententia mentaliter uel spiritualiter contra animas exutas corporibus quae ut sic sunt merē spiritus, ita in iudicio generali debet ferri sententia contra animas resumptis corporibus partim spiritualiter partim corporaliter, quod fiet si discussio meritorum sit mentalis (sicut omnino est probabile, quia si esset uocalis requireret longissimum tempus) prolatio uero sententiae sit uocalis quae poterit ferri ualde modico tempore, & haec opinio uidetur satis probabilis, & sic patet secundum.

10 Quantum ad tertium dicendum est q̄ tempus iudicii nō potest esse alicui notum per certitudinem cum dependeat ex mera dei uoluntate, de cuius expressione scriptura nihil loquitur. Nec est probabile q̄ Deus alicui reuelauerit: cum reuelationē eius filius negauerit Apostolus, ut habetur Act. 1. Ratio autē quare Deus uoluit hominibus esse occultū potest esse, quia illud quod respicit immutationem totius uniuersū debet soli Deo qui uniuerso praesert, esse notum, sed finis mundi sicut eius inceptio respicit immutationem totius uniuersū, & ideo congruum est ut finis mundi seu cessatio motus caeli quo cessante statim erit iudicium, sit Deo soli praecognita. De loco autē iudicii tenetur quod Dominus descendet super uallem Iosaphat qui est inter montem Sion & Oliueti posita, non quidem usq̄ ad terram, nec prope terram, sed usq̄ ad locum ubi Apostoli amiserunt aspectū suum quando ascendit ad caelum, & nubes suscepit eum ab oculis eorum, ut dicitur Act. 1.

11 Ad primum arg. dicendum q̄ scientia generalis iudicii erit uniuersalis separatio bonorum à malis & remuneratio bonorum & punitio malorum non solum in anima, sed etiam in corpore, & executio huius scientiae non fiet modo, sed fiet post generale iudicium: nunc tantum fiet executio particularis iudicii quo quilibet iudicatur in morte per praemium, uel poenam pertinentē ad solam animam.

12 Ad secundum dicendum quod Deus neminem iudicabit bis in idipsum, quia nō infliget pro uno peccato duas poenas quarum quaelibet sit proportionata culpa: poena enim quae infertur in iudicio particulari nō est aequata culpa, sed est pars poenae totalis quae postea erit in anima & corpore, quantum in duplici iudicio haec poenae determinantur & rationabiliter, quia quilibet homo & est quaedam singularis persona & est pars comunitatis: & ob hoc debetur ei duplex iudicium, unum singulare quod de quolibet fit in morte, aliud uniuersale quādo finaliter totum genus humanum cuius quilibet est pars iudicabitur.

13 Ad tertium dicendum quod ad iudicium duo pertinent, scilicet discussio meritorum & retributio praemiorum uel poenarum, & secundum hoc duplex dicitur esse iudicium, scilicet disceptationis & retributionis: iudicio retributionis omnes iudicabuntur, quia omnes punientur uel praemiabuntur, sed iudicio discussionis non omnes iudicabuntur, sed solum illi quorum merita sunt permixta demeritis, uel eouerso. Propter quod sic dicitur com-

FFF muniter

munitur, quod quidam sunt quorum mala sunt impermissa bonis meritoris sicut sunt illi qui caruerunt fide sine qua non est meritum, & ideo isti non iudicabuntur iudicio discussionis, sed sine discussione damnabuntur: de quibus inteligitur illud Psalmi. Non resurgent impij in iudicio. scilicet discussionis. Alii sunt quorum bona merita sunt impermissa malis ut sancti perfecti, quemadmodum fuerunt perfecti apostoli, & pauperes eorum imitatores, & isti non iudicabuntur, sed regnabunt & alios iudicabunt aliquo modo, ut infra dicitur, & de his procedit argumentum in hoc sensu. Alii vero sunt quorum merita permixta sunt cum demeritis, quia quandoque peccaverunt mortaliter, vel venialiter, & tamen in charitate decesserunt, & isti iudicabuntur propter permissionem bonorum cum malis, verum tamen saluabuntur. Alii vero sunt quorum mala permixta sunt cum bonis, sed decesserunt cum malis & extra charitatem, & hi iudicabuntur propter eandem rationem, sed damnabuntur propter defectum charitatis: & haec est quadrimembris distinctio quam ponit Magister in littera.

QVÆSTIO SECUNDA.

Vtrum in generali iudicio quislibet cognoscat peccata sua omnia, & peccata aliorum.

Secundo queritur, vtrum in generali iudicio quislibet cognoscat peccata sua omnia, & peccata aliorum. Et arguitur quod non, quia crescente causa crescit effectus, sed causa quae facit nos dolere de peccatis quae ad memoriam reuocantur est charitas quae in sanctis resurgentibus erit maior quam sit in viatoribus, ergo si sancti post resurrectionem recolant de peccatis videtur quod doleant de eis. Hoc autem est falsum, cum scriptum sit Apocal. 21. quod fugiet ab eis dolor & gemitus, ergo peccata propria ad memoriam non reuocabuntur.

2. Item omne quod cognoscitur vel cognoscitur in se vel in sua causa, vel in suo effectu, sed peccata vel merita quae praeterierunt, vel quae sunt in conscientia alicuius non poterit alius cognoscere in seipsis, quia aut non sunt, aut in corde latent cuius solus Deus est cognitor: nec in sua causa per eandem rationem, quia aut causa proxima inelians voluntatem ad merendum vel demerendum tunc non erit, & dato quod esset cum non inclinauerit voluntatem ex necessitate, sed libere, per eam non possent merita vel demerita alterius certitudinaliter cognosci. Item nec per effectus, quia multa demerita fuerunt in sanctis quae totaliter erant abolita per penitentiam, ita quod nullus effectus ex ipsis remanebit, ergo (ut videtur) vnus non poterit cognoscere merita vel demerita alterius.

3. **I**N CONTRARIUM arguitur per Aug. 20. de ciuit. Dei qui dicit, quod quaedam vis diuina aderit qua fiet ut cuncta peccata ad memoriam reducatur, ergo quislibet cognoscat omnia peccata sua, & eadem ratione omnia merita sua. Idem videtur de peccatis vel meritis aliorum per quandam glossam quae dicit super illud 1. Cor. 4. Illuminabit abscondita tenebrarum, quae gesta & cogitata bona & mala tunc aperta & nota erunt omnibus.

4. **R**ESPONSO. Circa questionem istam videntur esse duo quae tanguntur in argumentis. Primum est, vtrum in iudicio quislibet cognoscat omnia mala & bona quae fecit. Secundum est, vtrum quislibet cognoscat omnia bona & mala omnium aliorum.

5. Quantum ad primum est cõcors opinio doctorum quod quislibet cognoscat omnia bona & mala quae fecit, & hoc patet ratione & auctoritate. Ratio est, quia sicut se habet humani iudicium ad testimonium exterius, ita se habebit diuini iudicij ad testimonium interioris conscientiae, nam sicut dictum fuit prius, cogitationes vniuersarum tenebunt in generali iudicio locum testium accusantium vel defendentium, ut tangit Apoc. 2. sed in iudicio humano si secundum veritatem, debeat proferri sententia oportet quod testes vniuersa cognoscat de quibus est sententia iudicandum, siue ad absolutionem, siue ad condemnationem, ergo in iudicio diuino quod est perfectissimum & in quo nullus poterit esse error, oportebit quod conscientiae singulorum quae tenebunt locum testium cognoscant omnia pro quibus feretur iudicium absolutionis quoad bonos vel condemnationis quoad malos, sed omnia illa erunt merita & demerita singulorum, quare &c. Ad id est illud

euangelij quod de omni verbo ocioso quod locuti fuerunt homines rationem reddent in die iudicij, sed illud est minimum peccati, ergo fortiori ratione reddetur ratio de omnibus peccatis, sed non potest ratio reddi de illis nisi cognosceretur, ergo &c. Per quae autem modum ista cognoscitur certum est quod non naturaliter, quia omne quod cognoscimus naturaliter, vel accipimus de nouo per sensum, vel educimus de thesauro memoriae, sed post resurrectionem nullus poterit per sensum accipere cognitionem meritorum vel demeritorum quae praeterierunt, nec cognitio omnium poterit haberi naturaliter per modum memoriae, quia multa eorum totaliter a memoria exciderunt, quare &c. Itē nec cognoscetur cognitio beata non solum propter illud quod dictum fuit prius, quando quaebeatur, an sancti cognoscant orationes nostras, sed propter aliud, quia talis cognitio erit cõmunis bonis & malis, ut iam dictum est: cognitio autem beata non erit eis cõmunis, quare &c. Relinquitur ergo quod hoc fiet per modum reuelationis, nec est inconueniens quod malis reuelentur mala ad eorum penam: nam & malis angelis credibile est multa per bonos angelos reuelari.

6. Quantum autem ad secundum est duplex modus dicendi. Vnus quod quislibet cognoscat omnia merita & demerita aliorum, quia illud iudicium cum sit generale & finale debet esse perfectissimum, ad perfectionem autem iudicij maxime facit quod appareat omnibus esse beneficium, & iustum, non possit autem omnibus apparere iustum esse nisi cuiuslibet apparetur causa damnationis vel remunerationis tam bonorum quam malorum: cum igitur ista causa, sint singulorum merita vel demerita, videtur quod singuli cognoscat non solum bona & mala quae ipsi fecerunt, sed etiam omnium aliorum. Alius modus est scilicet quod non oportet ad hoc quod sententia iudicis appareat iusta quod quislibet cognoscat sigillatim omnia merita vel demerita aliorum, sed sufficit quod cognoscat illos qui erunt a dextris esse bonos & iustos, quibus dicitur, venite benediciti, &c. Illos autem qui erunt a sinistris cognoscat esse malos & iniustos, quibus dicitur, ite maledicti, &c. Et sine dubio non occurrit aliqua auctoritas sacrae scripturae quae expresse dicat quod peccata alicuius in speciali fiant aliis nota, quantum sit expressa auctoritas beati Augustini quod quislibet in generali peccata cognoscat: dicit enim, 20. de ciuit. Dei quod omnia mentis intuitu enumerabuntur. Quod autem cognoscitur solum in genere non enumeratur. Quae istam opinionem sit verior non potest sciri per certitudinem, vtraque tamen est possibilis quantum sit multum difficile videre qualiter mali possint singula peccata omnium cognoscere, vel vno intuitu, vel pluribus in tam breuissimo tempore quo creditur iudicium terminari: nihilominus tamen non est magis difficile de malis quam bonis, quia cum cognitio talium non pertineat ad visionem diuinam, sic omnes illae cognitiones possunt esse communes bonis & malis, ideo idem iudicium est de vtrisque.

7. Ad primum arg. dicendum quod beati habebunt memoriam peccatorum non ad penam, sed ad gloriam. Recordantur enim quod euaserunt pericula in quibus alij remaserunt, & ex hoc gaudebunt & Deum laudabunt: sed nisi plus dicatur argumentum non erit solutum, quia si beatus habebit memoriam de peccato mortali quod commisit, quare quem actum voluntatis habebit circa illud, vtrum actum complacentiae an displicentiae? Non complacentiae, quia ille esset actus peruersus, ergo displicentiae, sed omnis displicentia poenam habet, quare &c. Dicendum est ergo quod beatus recordabitur peccatorum quae fecit, & displicebunt ei, nec tamen tristabitur vel habebit poenam aliquam ex hoc, nam causa potest impediri a suo effectu, producendo per causam contrariam efficaciorē: quantum ergo displicentia nata sit causare & tristitia & poenam, tamen ex praesentia dei in ratione summi boni beatificatis causabitur summum gaudium in voluntate quod propter sui magnitudinem excludet omnem tristitiam, non solum contrariam, sed etiam contingentem.

8. Ad secundum dicendum quod multis aliis modis cognoscitur aliquid in se, vel in sua causa, vel in suo effectu. cognoscitur enim aliquid per suum simile, per suum contrarium, & per suum signum, & multis aliis modis quibus non erit Deo difficile reuocare vnicuique ad memoriam

riam peccata sua, talis enim cognitio (vt patet ex auctoritate Augustini prius allegata) fiet virtute diuina.

Prima auctoritas quæ est in contrarium ab omnibus conceditur. Secunda etiam conceditur ab illis qui tenent quod omnia erunt omnibus nota etiam in spectu ali: qui autem tenent aliam opinionem exponunt eam de cognitione peccatorum aliorum in genere, & non in singulari, quare &c.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum mundus sit purgandus per ignem eiusdem speciei cum igne nostro.

Tertio quaeritur vtrum mundus sit purgandus per ignem eiusdem speciei cum igne nostro. Et videtur quod non, quia purgatio quæ fit secundum diuinam iustitiam respicit immunditiam culpæ, sed in elementis huius mundi non potest esse aliqua culpæ infectio, ergo ipsa purgatione non indigebunt.

Item corpora simplicia quæ sunt eiusdem speciei habent eundem motum, sed ignis ille non habebit talem motum quale elementum ignis, quia elementum mouetur sursum, ille autem ignis mouebitur circumquaque, vtroutrum possit purgare, ergo non erit ignis eiusdem speciei cum igne nostro.

In contrarium arguitur, quia omnis innovatio fit per aliquam purgationem, sed elementa innovabuntur, vt dicitur Apoc. 21. Vidi cælum nouum & terram nouam, ergo illa purgabuntur, & non nisi per ignem, secundum quod dicitur, 2. Petri 3. Elementa ignis ardore tabescent, ergo &c.

RESPONSIO. Circa quaestionem istam videntur esse tria. Primum est, an mundus sit purgandus. Secundum est, vtrum ista purgatio faciendâ sit per ignem, & qualis erit ille ignis. Tertium est, an illa purgatio præcedat iudicium an sequatur.

Quantum ad primum dicendum est quod mundus purgabitur & innovabitur circa tempus iudicii, & illud magis tenetur auctoritate scripturæ & sanctorum quam ratione: nihilominus tamen potest ad hoc talis persuasio adhiberi, quia finis & ea quæ sunt ad finem debent proportionari, sed homo est quodammodo finis omnium corporalium saltem generabilium & corruptibilium, ergo illa debent homini proportionari, sed homo in resurrectione innovabitur & immutabitur in meliorem, puriorem & nobiliorem dispositionem, ergo congruum est vtrumque mundus corporalis qui factus est propter hominem innovetur, & immutetur in meliorem & puriorem, & nobiliorem statum.

Hæc autem purgatio vocatur innovatio mundi, quæ consistit in duobus secundum duplicem impuritatem quæ reperitur in rebus corporalibus. Vna est impuritas commisionis per mutuum actionem elementorum & aliarum rerum ad inuicem, & hæc est impuritas naturæ. Alia est impuritas proveniens ex culpa quantum enim res corporalis non potest esse subiectum infectionis culpæ, tamen ex culpa relinquitur in rebus corporalibus quedam incognitas ad hoc, vt spiritibus deiciatur: vnde videmus quod loca in quibus aliqua crimina sunt commissa non reputantur idonea ad aliqua sacramenta in eis exercenda nisi quadam purgatione præmissa, & secundum hoc pars mundi quæ in vltimum nostrum ex peccatis hominum contraxit quandam inidoneitatem respectu sacramentorum, propter quod indiget purgari non solum à prima impuritate, sed etiam à secunda. Ex quo patet quod non purgabitur totus mundus quantum ad quamlibet sui partem, sed solum quantum ad illam quæ cessit in usum hominum, vel ad quem facta hominum quoquo modo pertingere potuerunt, & hæc est pars illa ad quam aquæ diluuii arriuerunt propter eandem causam, & ideo cæli superiores non purgabuntur, nec sphaera ignis, nec superior pars aeris, sed tantum inferior: vnde dicitur in Psalm. quod cæli peribunt, & 2. Petri, dicitur quod cæli ardentes soluentur, quod intelligendum est de cælo aëreo. Vnde beatus Petrus exponit se de quibus cælis intelligatur, præmittit enim ante verba quod cæli prius, & terra per aquam perierunt, cæli autem qui nunc sunt & terra eodem verbo repositi sunt, seruati igni

QVÆSTIO III.

in diem iudicii. Illi igitur cæli per ignem purgabuntur, qui prius per aquam diluuii sunt purgati, scilicet cæli aërei, & sic patet primum.

Quantum ad secundum dicendum est, quod illa purgatio fiet per ignem conuenientissimè: quia per illud quod est purius debent impurius purgari, sed ignis inter omnia corporalia est purior puritate opposita duplici impuritati in elementis purgandis, ergo per ignem debent illa purgari. Minor declaratur, quia ignis non recipit permissionem extranei propter suam maximam virtutem actiua, sicut cætera elementa, & sphaera ignis est etiam magis remota à nostra habitudine: & si apud nos inueniatur eius usus, tamen non est ita communis sicut aquæ, aeris, & terræ, & ideo non tantum inficitur, propter quod conuenientissimè per eum fiet purgatio cæterorum. Qualis autem debet esse ille ignis aduertendum est, quod si est verus ignis compositus ex materia & forma, tunc de nouo creabitur, vel ex præiacente materia generabitur, & quicquid horum detur oportet dicere quod vel duo corpora sint tunc simul, scilicet ignis & aer, vbi ad locum ad quem aquæ diluuii ascenderunt, scilicet quindecim cubitis super altitudinem montis, vel quod tantum de aëre corrumpatur: & quia quid sit de primo secundum conceditur ab omnibus, tanquam possibile, veruntamen non concordat cum auctoritatibus Sanctorum: dicitur enim in glossa super illud, 1. Cor. 7. præterit figura huius mundi, quia pulchritudo non substantia huius mundi præterit, sed constat quod substantia elementorum pertinet ad perfectionem huius mundi, ergo elementa non consumuntur quantum ad suam substantiam. Et iterum: sicut purgabitur aer per ignem, ita aqua & terra, sed constat quod substantia aquæ & terræ non peribit in aliqua sui parte, ergo nec aeris. Propter quod videtur quibusdam & probabiliter, quod ille ignis non erit nisi quædam ignitio elementi purgandi, sicut ferrum ignitur non recipiendo formam substantialem in se, sed vehementem calorem, quæ quidem eius est ignitio: & ad hoc videtur communis doctor declinare, qui dicit quod manebunt elementa quantum ad substantiam, nec efficiuntur materia ignis, ita vt à propria specie corrumpantur, sicut patet in ferro ignitio. Si autem teneatur quod sit verus ignis, & non solum ignitio, oportet dicere quod sit eiusdem speciei cum igne nostro. Quod persuadetur sic: futura purgatio mundi erit per ignem, sicut prima fuit per aquam, & hæc corrumpentur ad inuicem, 2. Petri 3. sed aqua illa fuit eiusdem speciei cum aqua elementari, ergo ille ignis erit eiusdem speciei cum igne nostro.

Quantum ad tertium, scilicet an illa purgatio præcedat iudicium dei an sequatur: dicendum quod præcedet secundum illud Psalm. Ignis ante ipsum præcedet, & hoc patet sic: Resurrectio mortuorum præcedet iudicium, simul autem erit resurrectio mortuorum, & glorificatio corporum sanctorum: resurgent enim cum corporibus gloriosis, simul etiam glorificabuntur corpora sanctorum, & renouabuntur elementa: cum ergo purgatio mundi per ignem sit dispositio vel actio ad prædictam renouationem, manifeste sequitur quod hæc purgatio præcedit iudicium. Quid autem fiet de illo igne? Dicitur quod terminato iudicio inuoluet reprobos, & descendet cum eis in infernum. Sed hoc est valde dubium, quia secundum hoc oportet dicere quod ille ignis duret ab ante iudicium vsque post, & cum occupet totum spatium terræ habitabilis, & vicinam partem aeris vsque ad altitudinem quindecim cubitorum super montes, consequens est, vt videtur, quod omnes iudicandi qui erunt in inferiori parte aeris erunt in igne illo, quod licet non sit Deo impossibile, non apparet tamen qualiter sit conueniens.

Ad primum arg. dicendum quod licet creatura corporalis non sit subiectum culpæ, contrahit tamen quandam incongruitatem ex culpis in ea commissis, propter quam indiget purgari.

Ad secundum dicendum quod ignis ex propria natura fertur sursum, sed sequitur quandoque materiam quam incedit, & per hunc modum non est inconueniens quod mouetur circumquaque iuxta terram, maxime cum ille motus eius sit quatenus est instrumentum diuinæ iustitiæ, & hic motus potest poni in illo igne, si sit aliquis paruus ignis qui habeat totum mundum purgare: si vero sit ignis vel ignitio simul

occupans tantum spacium, quantum occupauerunt aque diluuii, non oportet ponere in eo aliquem motum.

Sententia huius distinctionis XLVIII.
in Generali & Speciali.

SOlet etiam quæri. In præcedentibus determinauit de iudicii modo: hic determinat de iudicantis persona. Et diuitur in tres. Primò enim determinat de iudicantis persona. Secundò de iudicii loco ibi, putant quidam. Tertio de iudicii circumstantiis ibi, veniente autè. Circa primum tria facit. Primò enim inquirat formam. Secundò qualitatem ibi, sed cum in forma. Tertio proposita declarat per similitudinem ibi, & sicut dicitur. Secunda pars in qua determinat de circumstantiis iudicii habet tres. Primò enim determinat de presentia iudicis. Secundò de præcedentibus. Tertio de sequentibus. Prima ibi, veniente autem. Secunda, ante diem. Tertia, cum autem fuerit.

2 Proponit ergo Magister q̄ Christus secundum formam hominis iudicabit, quia deitas à malis videri nō potest, ideo iudicabit in forma gloriosa, in qua à malis & bonis videbitur: iudicabit autem virtute diuinitatis unitate, sicut & corpora resuscitantur virtute diuinitatis, mediante tamen humanitate iudicabit in valle Iosaphat, quia in spacio loco illius aëris sedebit, vel quia ad literam ibi cum multis disceptabit. Deinde subdit q̄ in iudicio Sol & Luna dicuntur obscurari propter claritatem iudicis superuenientem, & virtutes cælorum moueri ex admiratione visorum, post iudicium verò maiorem claritatem recipient: sicut enim per peccatum hominis sunt omnia deteriorata, sic e contrario post reparationem meliorabuntur, & si aliqua auctoritates dicant solem & lunam cessare, intelligendum est quantum ad motum, & quia beati eorum lumine non indigebunt, &c.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum Christus iudicabit in forma humana.

Circa distinctionem istam primò quæritur vtrū Christus iudicabit in forma humana. Et videtur q̄ non, quia aut iudicabit in forma infirma, aut gloriosa: non in infirma, quia illam Deus non habebit de cætero, nec gloriosa, ut videtur: quia illa non potest videri à malis, quum oculus non glorificatus non habeat proportionem cum claritate corporis gloriosi, & quia visio humanitatis Christi gloriosa parit gaudium. Vnde & promittitur sanctis in præmiū, ut dicit Aug. super illud Ioan. 10. Ingredietur & egredietur, & pascua inueniet, ergo Christus nullo modo iudicabit in forma humana.

3 Item iudex debet habere potestatem inuincibilem secundum illud Eccl. 7. Noli velle fieri iudex, nisi valeas virtute irripere iniquitates, sed potestas inuincibilis non est in Christo secundum humanitatem, sed secundum diuinitatem, ergo non iudicabit secundum quòd homo.

3 IN CONTRARIUM est quòd dicitur Ioan. 7. Dedit ei potestatem iudicium facere, quia filius hominis est, sed est filius hominis solum secundum naturam humanam, ergo &c.

4 RÈSPONSIO. Circa quæstionē istam videnda sunt tria. Primū est, an Christus sit iudicaturus in forma humana. Secundum est, supposito q̄ sic, vtrū in forma infirma an gloriosa. Tertium est, an solus Christus sit iudicaturus, an alij homines cum ipso.

5 Quantum ad primum sciendum est q̄ differt quære vtrum Christus sit iudicaturus in forma humana, & vtrum sit iudicaturus secundum formam humanam: quia ad hoc ut dicatur iudicare in forma humana, sufficit q̄ iudicet habens talem formā, & in ea apparens, sed ad hoc quòd dicatur iudicare secundum formam humanam, requiritur q̄ non solum appareat in ea, sed quòd sit ei causa vel ratio habendi auctoritatem iudicandi, vnde multæ propositiones verificantur de Christo primo modo quæ non verificantur de ipso secundo modo: demonstrato enim Christo in humana natura verum est dicere quòd ille homo creat animas, & gubernat mundum, sed non est verum dicere quòd ipse secundum quòd homo creat animas, vel gubernat mundum, quia humanitas non est

ratio seu causa quare tales actus ei conueniant, ergo si sic quæretur, an Christus iudicabit in forma humana, non est dubium quin sic. Quod patet auctoritate scripturæ, & probabili ratione. Auctoritas scripturæ habetur Ioan. 10. videbunt in quem transierunt, sed illud non potest verificari nisi videret illum, & nisi Christus apparet in forma humana in qua transiit, ergo &c. Ratio autem est ad hoc: quia iudex debet apparere principaliter iudicandis maxime quando in eo prehenduntur insignia iuste condemnationis malorū, sed Christus secundum diuinitatem non apparebit malis, cum in eius visione consistat beatitudo, ut infra patebit dist. 49. q. 4. ergo apparebit secundum humanitatem in qua apparebit insignia passionis quæ pro omnibus sustinuit, & cuius beneficiis mali per suam culpam se reddiderunt indignos.

6 Si verò quæretur an Christus debeat iudicare secundum humanam naturā, dicendum est q̄ ly secundum potest designare auctoritatem primariam respectu iudicis, aut secundariam, & quasi delegatā. Si primo modo, sic Christo nō competit iudicare secundum humanam naturam, sed solum secundum diuinam cum patre & spiritu sancto. Cuius ratio est, quia illius solus est iudicare secundum primariam auctoritatem, qui potest efficaciter primum reddere bonis, & infligere pœnam malis, sed Christus secundum q̄ homo per potestatem humanam naturam nō potest reddere bonis primum, puta visionem beatam, nec malis infligere pœnam damnationis, quia sola virtute diuina potest communicari visio diuinæ essentiæ intellectui creato, & per eam sola potest fieri q̄ spiritus à corpore separatus (ut sunt angeli) puniantur ab igne inferni, vel q̄ corpora damnatorū semper attingantur, & nunquam corrumpantur, ergo Christus secundum suam naturam nō iudicabit per primariam auctoritatem, sed solum secundum diuinitatem.

7 Si verò ly secundum dicat auctoritatem secundariam, & quasi delegatam, sic Christo competit iudicare secundum humanam naturam. Primo, quia per iudicium boni admittentur ad regnum, mali verò repellentur, sed admissio bonorū ad regnum erit meritorie per beneficiū redemptionis, quòd perceperunt & tenuerunt. Repulso verò maiorū à regno erit per hoc q̄ beneficiū redemptionis contempserūt, vel eo abusi sunt. Et quia Christus est redemptor ratione humanæ naturæ, in qua opus redemptionis exercit, ideo secundum eam pertinet scđdaria auctoritas iudicandi: & hoc est quòd dicit quædam gloria super illud Iob. 36. Causa tua quasi impij iudicata est (glo. à Pilato) ideo iudicij causamq̄ recipiens (glo. ut in se iudices.) Secundo, quia eodem modo competent alicui legem condere, & secundum eam iudicare, sed Christus secundum humanam naturam fuit conditor legis euangelicæ: non quidem primaria auctoritate, sed secundaria & quasi delegata, ergo eodem modo competit ipsi secundum eam obseruatores & transgressores iudicare: & isti ordinē iudicarij potestatis tagit expresse scriptura Dan. 7. vbi dicitur sic: Aspicebā donec throni positi sunt, & antiques dierū sedit, per antiquum dierū intelligens deum, & maxime patrem, qui est fons totius deitatis, cui appropriatur primaria auctoritas iudicandi, & quia ab eo deriuatur potestas iudicaria in filium, non solum ab æterno & secundum diuinam naturam, sed etiam in tempore secundum humanam, in qua potestatem iudicandi meruit, sed non eandem, nec æqualem, ideo subiungitur: Aspicebam in visu noctis, & ecce cū nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsq̄ ad antiquum dierū peruenit, & dedit ei potestatem, & honorē, & regnum. In quo innuitur potestas iudicaria in Christo homini delegata.

8 Quantum ad secundum dicendū quòd Christus iudicabit in forma humana gloriosa. Quod patet primo, quia in illa forma venit ad iudicium in qua ascendit cælum, vnde Act. 1. dixerunt Angeli Apostolis: hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodū vidistis eum euntem in cælum, sed Christus ascendit in cælum cū humanitate gloriosa, ergo in tali veniet ad iudicium. Secūdo, quia iudicare & iudicari sunt actus oppositi, maxime cū aliquis iudicatur iudicio cōdenationis, quia iudicare est potestatis, iudicari verò infirmitatis: sicut autē

Christi